



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

XII. Decretum electionis scripto fiebat. Iudicium, & dein ordinatio, ad Metropolitanum & Episcopos comprovinciales pertinent. Probantur multis auctoritatibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam Metropolitanò tribuatur Episcopo. Canonem hunc sequuntur & interpretantur Concilium Africanum can. XIII. & Antiochenum can. XIX. quod addit Metropolitanum ea de causa cœpiscopos suos convocare.

XI. Itaque tres ex iis canonibus regulæ colliguntur. Prima est, debere Episcopos provinciæ illius in qua ordinandus est Episcopus, ejus electionem approbare, eique consensus suos adhibere, viva scilicet voce, si præsentibus fuerint; aut per literas, si eos abesse contingat. Secunda, ordinationem à tribus saltem Episcopis esse peragendam. Tertia, firmitatem eorum omnium, id est, confirmationem, sive τὸ κρῖν, ut loquitur Concilium, pertinere ad Metropolitanum. Regula prima & tertia explicantur in canone sexto Nicæno, ubi statuitur eum pro Episcopo habendum non esse qui absque consensu Metropolitanæ fuerit ordinatus. Vnde patet magni momenti vim esse veteribus auctoritatem Metropolitanæ. Attamen si ille, aut alius quispiam Episcopus, pertinacia potius quàm ratione pugnet adversus communem sententiam collegarum suorum, ita tamen ut repugnantium numerus duos vel tres non excedat, statuit Concilium obtinere debere sententiam plurimorum. *Obtineat, inquit, sententia plurimorum.*

XII. Decretum electionis scripto fiebat; ut constat ex epistolis Papæ Leonis I. in Actione XVI. Concilij Chalcedonensis descriptis & ex pluribus aliis auctoritatibus. Examen, discussio, iudicium, & dein ordinatione, ad Metropolitanum & ad Episcopos comprovinciales pertinent secundum antiquos canones. *Iudicium id, aut confirmatio electionis, dicitur in canone XXVII. Concilij Antiocheni: Servetur autem jus ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & iudicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus extiterit promovere. Quod autem hoc loco nominatur Iudicium Episcoporum, in canone XIX. ejusdem Concilij dicitur decretum ordinari; ubi etiam admonetur necessariam esse auctoritatem Metropolitanæ. Disciplina eadem deprehenditur in canone XII. Laodiceni Concilij, quod etiam iudicij vocem in eadem causa usurpat; Vt Episcopi ju-*

*dicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem. Magnam orientalibus illis Conciliis lucem adferunt Canones Occidentis, qui iudicium difficultatum in electionibus contingentium Episcopis permittunt. Canon XL. Concilij III. Carthaginensis, qui est quinquagesimus in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, statuit ut si qua contradictio fuerit oborta adversus personam electi, ab Episcopis qui ordinationem peracturi sunt iudicetur. quem locum, ut & plerisque alios canones ad hanc materiam spectantes, in Decretum suum retulit Gratianus Dist. XXIII. c. Illud statendum est &c.*

XIII. Quod si in plures personas divisa fuerint eligentium vota, censuit Leo arbitrium discordiæ hujus referendum esse ad Metropolitanum; cuius iudicio is præferri debet in quem major eligentium pars consenserit, habita ratione meritorum ejus. *Cum ergo, inquit, de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præferatur quem cleri plebique consensus concorditer postularit; ita ut si aliam forte personam partium se vota dividerint, Metropolitanæ iudicio is alteri præferatur qui majoribus & studiis juretur & meritis.*

XIV. Iustinianus Imp. cum formam electionum in Novellis Constitutionibus præcipisset, ea videlicet ratione ut Clerici & cives honorati trium personarum electionem scripto facere teneantur, edicit ut decretum electionis istiusmodi ad Metropolitanum & ad ejus synodum deferatur, ut unus è tribus deligatur. Quod si accusatio quæpiam adversus electum instituta fuerit, eam Metropolitanus intra trium mensium spatium iudicare debet, ut deinceps ordinatione peragi possit; hoc tamen addito, ut tota culpa in Metropolitanum rejicienda sit, si ea facta fuerit contra Canones. Non licebat igitur appellare à confirmatione electionis; nullaque alia ratio suppetebat ad infringendum confirmationis decretum quam ut Episcopus recens ordinatus deponitionis pœna plecteretur, si iusta aliqua causa subesset.

## CAPVT III.

## Synopsis.

I. In Gallia, iudicium electionis & ordinationis pertinebat ad Metropolitanum & ad Episcopos provincie, ex Leone I.

II. Et ex Concilio Arelateni secundo. Regi consensum necessarium esse decernit Concilium antiochenense V.